



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De  
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex  
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agr., 1599**

**VD16 ZV 2606**

Meditatio 22. [i. e. 32.] De Christi baiulatione crucis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

*Pilato sententiam amore nostri patientif-  
simè sustinuit.*

*7. Quàm saepe, ut mundo aut carni gra-  
tium aliquid prestemus, aut propter ho-  
nores, aliq̃ bona temporalia, more Pila-  
ti iniuste aliquid agendo, Christum dam-  
namus?*



## MEDITATIO TRIGESIMASECVNDA.

DE CHRISTI SAIVLA-  
TIONE ~~CRUCIS~~

EVANGELIUM.

*Matt. 27.*

*Matth. 27.*

*Ioan. 19.*



**T** apprehēdentes Ie-  
sum, postquam illuse-  
runt ei, exuerunt eū  
purpura, & induc-  
runt eum vestimentis  
proprijs. Et eduxerunt eum ut cru-  
cifigerent. Et **M**ulans sibi crucem  
exiuit in eum, qui dicitur Caluarie  
locum.

FIGV.

FIGURAE.

**I**SAAC cum Patre ad montē pro- Gen. 22.  
ficiscens, in quo sacrificaretur, li-  
gna sacrificij gestabat in humeris.

Præcepit Deus lege veteri, vt ad Leuit. 4.  
peccati expiationem fumeretur vitu-  
lus sine macula, qui extra castra cla-  
tus combureretur.

PROPHETIÆ.

**D**ABO clauem domus David super Isaiā 22.  
humerum eius.

Factus est principatus super humerum Isaiā 9.  
eius. Isaiā 59.

Sicut ovis ad occisionem ducitur, &  
tanquam agnus coram tondentibus se ob-  
mutescit.

CONSIDERATIONES.

**C**ONSIDERA, quomodo impro- 1. Punctū.  
bi illi ministri, postquam varijs mō-  
dis illuserunt Christo, exuunt illum ve-  
ste purpurea, & suis vestibus induunt.  
Vide, vt exutus purpura, nudus consti-  
terit coram tam multis, qui risum, ex  
ipso captabant, & ad eum locum, quo  
flagellatus erat ambulans, colligat ve-  
stes, seq; non sine magno pudore ijs in-  
duat. Deinde imperiosè iubēt, vt hume-  
ros liuidos prorsus, & tot verberationib.

faucios, sub dura cruce incuruet, & colū supponat grauiſſimo oneri, vt idem ipſe & ignominiam, & ſupplicium ſuum ferret. Non recusauit obediens Jeſus onus acerbum, in quo erant peccata noſtra omnia; ſed tanquam exoptatum diuque deſideratum amplexus eſt, vt & Patris obedientia & noſtrae ſaluti ſatisfaceret.

Gen. 22.

Vidiſſes ibi verum Iſaac ligna ſua ferentem humeris ad ſacrificij locum, & aſtantem Patrem cum igne & gladio vt ipſum ſacrificet. Hæ erant virtutes illæ duæ, quæ tantam in pectore æterni Patris contentione excitârunt: ignis amoris, qui humano generi poſtulabat ignoſci, & iuſtitia gladius, qui poenâ erasino repoſceret ab homine. Sed inuenit miſericordiſſimus Deus mirabilem hanc rationem, vt Filius Dei pro nobis poenas ſubiret & moreretur. Quæ ratione & amori factum eſt ſatis, quando ipſe abſque vlla obligatione ex mera caritate ſibi culpas noſtras impoſuit, & iuſtitia, quando ſuis poenis vel abunde ſoluit, quicquid nos debebamus. Noli, anima mea, ingrata eſſe tanto amori, & ſi aliud non potes, adiunge te Saluatori tuo, qui crucem ferens inuitat etiam te, vt tollas crucem tuam & ſequaris ipſum  
Dulce

DE PASSIONE DOM. 157

Dulce enim est post Christum portare  
crucem, & beati, qui eum sequuntur.  
*Qui enim Christum sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite.* Ioan. 1.

Considera & compatere tuo benedi-  
cto Iesu. Vide vt incedat pressus graui  
illo onere, vt miserandum in modum  
sit toto corpore incuruus, & ad terram  
inclinatus sub immodico crucis ponde-  
re, in extremis angustijs animi, debilita-  
tis & fractis viribus, tremantibus genu-  
bus, facie cruenta, crudelem illam in ca-  
pite coronam retinens. Sed ardentissi-  
mus amor & desiderium pro nobis satis-  
faciendi, addebant illi vires, vt omnia  
pateretur etiam supra vires. E contra vi-  
de, quomodo à perditis illis festinetur  
ad mortem, bonum Iesum raptant, im-  
pellunt & immaniter pugnis, calcibus,  
verberibus, tanquam vile iumentum  
percutiunt: Ille vero, vt agnus mansue-  
tus, crudelitatem & immanitatem om-  
nem patienter sustinet.

O patientissime Iesu, noctem totam  
& bonam diei partem improbi isti car-  
nifices, tot te pœnarum generibus exer-  
cuerunt: & nunc quasi laxamenti alicu-  
ius aut releuationis gratia, tam graue  
onus crucis humeris tuis imponit. Tu  
vero etsi ita exhaustus, vt vix in pedes

consistas, tamen amore mei non recusas laborem hunc; neque reijcis onus, quod ab inimicis imperatur. O verè humilis humillimi Iesu obedientia! O pondus iniquitatum mearum intolerabile. Peccata mea, Domine mi, fabricauerunt super dorsum tuum machinam hanc, & sicut onus graue grauata sunt super te.

*Psal. 128.*

*Psal. 37.*

### COLLOQVIVM.

**P**ETE gratiam à Christo Domino, qua sicut ipse cum alacritate humeris suis ligna portauit, quibus ob tua peccata igne caritatis accensus sacrificaretur; tu item ipsius imitatione feras patienter, imò promptè & lubenter crucem rerum aduersarum, quæ in hac vita occurrunt, & laborum quæ in eius obsequio capeffendi sunt, vt cum fueris socius tribulationum, possis etiam esse socius caelestium consolationum.

### DOCUMENTA.

1. **S**I Christus Dominus noster portauit crucem, debemus & nos portare nostram, id erit si in tentationibus patientiam cõseruauerim, & lubenter amplectimur mortificationes quasuis, & occurrerimus in ipsius seruitio molestias, vt eò similes.

miliores simus capiti nostro Christo, quem sequimur.

2. Si serui Christi esse volumus, non fugienda, sed amplectenda nobis est crux & induenda. Crux enim est insigne quod Christus sibi militantium vestitus in hac vita vult esse affixum.

3. Cum exiret Christus crucem gestans è domo Pilati ad montem Caluaris, reliquit ibi vestes, quas illi Herodis & Pilati satellites imposuerant. Sic religiosi, cum egrediuntur è mundo, ut crucem obedientia ferant ad montem perfectionis, relinquere debent vitiosos omnes habitus & consuetudines mundi; & induere se vestibus Christi, qua sunt virtutes ipsius.

4. Pro Christo crucem portant ij soli, qui Christum sequuntur. Itaq; si quis aliud præter Christum persequitur, si qua cruce illi ferenda obueniat, non Christo, sed suis iam cupiditatibus portat.

5. Suam crucem, quam à Patre acceperat, Christus tulit, sic nos debemus tollere crucem nostram, illam quam Deus imponit, non qua nobis videtur. Hoc est, ex ijs tentationibus & rebus, qua nobis diuinitus obueniunt, profectum quarere debemus, non alias præferre & optare: quando ipse nouit: quod nobis utilissimum sit.